



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

Quare gratia peccatori facienda, hominibus sit commissa. Qualis gratia in  
sacro Paenitentiae tribunali praestetur. Quid exigatur vt Confesso sit  
legitima. Quomodo facienda peccatorum enarratio. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

Peccata commissa rite confiteri.

## TRACTATUS XV.

### DE SACRAMENTALI CONFESSIONE.

Adeamus ergo cum Fiduciâ ad thronum gratiæ,  
vt misericordiam consequamur, & gratiam in-  
ueniamus in auxilio opportuno. *ad Heb. 4. v. 16.*

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & ju-  
stus (Deus) vt remittat nobis peccata nostra,  
& emundet nos ab omni iniquitate. *1. Ioan. 1.  
v. 9.*

*Quare gratia peccatori facienda, hominibus à Christo sit com-  
missa. Qualis gratia in sacro Pœnitentiæ tribunali præ-  
stetur. Quid exigatur vt Confessio sit legitima. Quomo-  
do facienda peccatorum enarratio. Denique quo pacto su-  
peranda omnis à confitente verecundia.*

### P R O O E M I V M.

*Non suffi-  
ciat de pecca-  
tâ pœnitere:*



Equidquam excussa sunt antea actæ vitæ scelera, ne-  
quidquam seriâ pœnitentiæ animi retractata; nisi  
& ad hoc allaboret Conscientia, vt eorum gratia ab  
offenso Numine aliquando tandem auferatur. Si  
enim per procacem petulantiam fauore paterno ex-  
cidit puer, sanè Pædagogi munus est, non tantùm in acta clien-  
tis

eis sui inquirere, eique fœditatem rei ponere ob oculos; allaborandum ei est pro viribus præterea, irato patri vt satisfiat, pueri delicti veniam impetret, eumque benevolentia pristinae demum restituat. Hoc igitur sextum officium est eius quem Pædagogum nobis assignauit Deus, nempe Conscientia: illius inquam munus est, scelerum, quæ negare non potest nec verò etiam excusare, gratiam petere, infractamque tam indignè Patris optimi benevolentiam restaurare. Attende nunc, peccator, admirandam prorsus facilitatem offensi Dei. Totum reconciliationis faciendæ negotium, ad homines ablegauit, eorumque, causam suam commisit arbitrio, ne fortasse irati Numinis conspectum fugias. Thronum gratia in terris erexit, ad quem tota gratia dandæ, amicitiaque componendæ, deuoluta est iurisdictionis. Huc igitur referenda est causa, hinc tota decidenda & componenda est lis. Inauditâ autem causâ cum nihil agatur legitimè, hoc nunc demum restat, vt ea fideliter pro Curia spiritali recitetur, sinceraque sit criminum, quorum gratia faciendâ est, Confessio. Neque enim, ne in foro quidem humano, delictorum datur impunitas à Principe, nisi quorum in libello supplicis facta est diserta mentio. Istud igitur quo pacto à Conscientiâ faciendum sit; Confessio inquam quâ ratione instituenda, vt sit legitima, agendum est modò. Et primò quidem quanta sit Throni gratia à Christo instituti iurisdictionis, & quàm humanè à Christo actum sit, eam hominibus quòd commiserit, exponemus. Deinde cum Confessionem illam difficilem garriant hæretici, imò viribus humanis imparem, totum Confessionis faciendæ ordinem & stylum explicabimus: hoc modo calumnia impacta diluetur; patebitque omnibus quàm suaue sit jugum à Christo peccatori impositum, quod sola hominum aut improbitas, aut ignorantia facit esse difficile.

*vt eorum  
habeatur  
gratia, faciendâ est  
legitima  
facti Confessio.*